

451

449

455

445

460

440

400

350

Ende

Anfang

436

nostri ductores et nos conturbati; congregavimus vero nos peregrini in unum, et Sarracenos ductores nostros cum patronis gallearum nos praecedere permisimus, (167 A) et formidulosi nostro sic agmine ordinato contra raptore e diverso venientes processimus; non erat enim locus nec tempus fugae aptum, sed si fuisset, terga praebuissemus istis spoliatoribus. Cumque ad eos venissemus, et anteriores procedere vellent, obstiterunt illi, et viam praecoccupaverunt, ne quis transire posset, et amplius quam per horam ibi stetimus; ductores enim nostri et patroni cum eis de conventione tractabant, et multa clamosa litigia simul habebant, nemo tamen alium laesit quovis modo, quia orientales non procedunt statim ad laesio-
nen personae, nisi vim vi repellere cogantur, nec erant nobis inimici Arabes illi, sed solum pecuniam a nobis exigeant, quam dicunt de jure sibi competere, ut saepe in sequentibus habebimus. Si enim vi et contra voluntatem eorum proces-
sissemus, dimisissent quidem, quia eramus plures quam ipsi, sed interim advocassent suos complices, et obsedissent nos in Bethlehem, et usque ad extremum nos coarctassent, et forte gavisi fuissent, si cum violentia eos pertransivissemus, propter majores accusationes, nec tamen aliquid potuissemus contra eos agere, quamvis nos plures essemus, quia ipsi armati erant hastis, gladiis et arcubus, nos vero inermes, demitis duxoribus nostris, qui etiam ferebant arma. Post multa parlamenta fuit conclusum, si vellemus intrare Bethle-
hem, quod solveremus XXIV ducatos, si non, redire nobis liceret in Jerusalem. Aperiuius ergo bursas [et] omnes sol-
vimus pecuniam, quilibet taxam suam, et progressi sumus. Ipsi autem exactores in loco manserunt, dividentes spolia. Porro cum per bonum spatium ab eis essemus divisi, erupit de civitate alias exercitus Arabum, qui erant complices eo-
rum, et ingesserunt se in peregrinorum cuneum, et cum magna irrisione et clamore penetraverunt per medium nostrum, trahentes nos, trudentes, pileos de capitibus peregrinorum projicientes, et suis jocis incompositis plures turbaverunt. In illo tumultu hoc mihi accidit: me enim in asino inter alios eunte venit unus Arabs a contra in equo, volens cuneum nostrum penetrare, sicut fecerant allii sui socii, et ut sibi